



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Sine Dei gratia sicut prisci Sancti, parum aut nihil potuerunt, sic nec nos aliquid possumus: cur Deus subinde rogatus dare differat: Deus cur suos tentationibus exerceat, orationesq[ue] nostras vtî ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

tatem poenitendi, & quod quouis momento dum hic viderent, ad me potuissent re-  
uerti ac saluari, ad quod illos semper ego expectabam, anhelabamq; illis occurrere  
& gratiam ineam offerre: sed neglexerunt.

Interroga eos qui tecum sunt beati, quid noceat illis modo, quod olim in mun-  
do fuerint humiles, abiecti, infirmi, contempti, casti, & mites & sobrij, quod bo-  
num pro malo reddiderint, quod ad iniurias & derisiones patientes tacuerint, quod  
frigora, famem, paupertatemq; tollerauerint. En quā gloriosos, quam beatos, quā  
sanos, quam gaudio plenos modo perpetuoq; felices constitui, quam deliciosa est  
illis requies pro labore breui collata, quam magnus honor pro modico contemptu,  
quanta opulencia pro parsimonia & paupertate. Age igitur filia, sume animam, ex-  
cita in te fiduciam, relinque noxia, damnabilia, inhonesta, peritura, infelicia, &  
amplectere sancta, casta, honesta, semper permanentia, felicia, æterna. Elige ma-  
tui amatorem, qui te fecit, qui redemit, & à quo habes quicquides aut potes, & re-  
linque pessimum inimicum tuum, qui corpus tibi destruit & animam, & secum  
trahit ad gehennam. Relinque quicquid tecum non potes possidere. Quicquid il-  
licitum est, quicquid ad peccatum te trahit, quicquid damnationem tibi parat  
æternam, diabolus tibi est: & ideo illud fuge atque à te proscinde. Ne dicas: Non  
possum conuerti. Incipe, sume voluntatem: quicquid tu non potes, possum ego.  
Et quomodo tu non posses, quod potuerunt infantes & puellæ? Quomodo tu non  
posses, quod millium millia hominum potuerunt? Quomodo illos adiuu, sic adiu-  
uabo te gratia mea.

Premia vir-  
tutum secta-  
toribus quā-  
ta reposita  
in caelis.

Relinqua-  
da quæ nara  
sunt reuerti  
cupienti ad  
Deum.

*Sine Dei gratia sicut prisci Sancti, parum aut nihil potuerunt, sic nec  
nos aliquid possumus: cur Deus subinde rogatus dare differat.*

*Deus cur suos tentationibus exerceat, orationesque  
nostras uti exaudiat.*

CANON IV.

**S**ine mea gratia sicut ne ipsi quandoquidem Sancti mei potuerunt quicquam  
boni, sic nec tu potes filia: verum hac eadem te faciam ut possis. An persona-  
rum acceptor sum? An tibi in quacunque re ad salutem æges, negare possum?  
Minimè. Pete à me quod vis, & accipe. Si tardauero dare, longanimiter expecta.  
Neque enim ex duritia, sed ex beneuolentia tibi dona mea, quæ etiam alioqui pa-  
ratus offero, prorogo. Memento mulieris Chanææ, quomodo quod petebat, &  
quod ipse quoque dare volui, imò quod ut peteret in eius cor posui, ego dare dissi-  
mulavi, quomodo distuli, quomodo quasi inuoluntarium me exhibui, quomodo  
tam exercui, quomodo etiam ne petendo deficeret, eam prouocavi? Videsne quan-  
tum profecerit, cum ego interim quod petebat non negabam, sed differabam? Vi-  
desne quantum fide, desiderio, humilitateq; creuerit? Videsne quomodo utilius illi  
fuerit tardius, quā cito exaudiri. Hoc modo tu quoq; voluntati meæ cõmmitte cõfidēs  
bonitati, sapiētiz ac prouidētiz meæ, & quomodo, & quādo tibi expedir, exaudiā.  
Ad utilitatē tuā filia mi cedit, te impugnari, & quādoq; expugnari, deficere & vires  
resumere: salubriusq; tibi sapius est nō exaudiri cito, ut semper ores, semper gemas,  
semper

A&o: 10

Dona cur  
sua Deus  
quandoque  
proroget da-  
re rogatus.  
Mat 13

Tentari & à  
Deo exer-  
ceri.

quam sit  
vile.

Oratio per-  
seuerans  
quam sit  
vtilis.

Psal. 54.  
Heb. 12.

semper desideres, semper te humiliter, semperque pugnes & pro virtute laboras, qui  
vt mox fuisses exaudita: Dum enim habere te putas, orationi & desiderio tuo finis  
est impositus, & diuitem atque beatam existimas. At cum deficere te sentis, nec tibi  
superesse consilium auxiliūque, præterquam ex me, petis, in fias, deficietas. Post  
oratio, humilitatem ac fidem, si perseueret, augebit vehementer. Inde fit etiam  
sæpe tria quatuorve in te meliora ponam dona & augeam, dum vnum differo. No-  
li igitur timere. Necessè est enim orationem exaudiri, & pro quibus sapienter po-  
stulas, aut ea tribui, aut quod interim non habueris, sic oranti adeoque desideranti  
non imputari. Itaque noli animo deficere, noli ab oratione cessare. auxiliū tuū  
præsto est maius atque salubrius, quam ipsa putas. Non igitur in cor tuum despo-  
rationem illam intrare sinas, quasi non possis non delinquere. Iacta cogitatum tuū  
in me, ego te enutriam. Incipe ex animo, & conuertere ad me, ego suscipiam te. Ego  
propugnabo & defendam te. Nondum ad sanguinem vsque restitisti, facile tamen  
amicus potuit vincere, cui vltro te ipsam prosternebas: facile potuit superari,  
que vltro captiuam te vinculis eius implicasti. Ego tamen adeo sum fidelis, vt nihil  
te pati, nihil super te venire sinam, quod nequeas sustinere. Scio infirmitatem tuā,  
& ad vtilitatem bonæ voluntatis, non ad tui seductionem tentationem mitto.

*Christus quam lætus occurrat animæ ad se redeunti: quam dulciter  
eam consoletur: quanti is animas fecerit: quanta pro eis  
passus sit: vti item eas Patri celesti offerat.*

## CANON V.

Christus vt  
animæ ad  
eum reuer-  
tenti lætus  
occurrat.

Mat. 11.

Exc. 33.

Rom. 5.

Quanti  
Christus  
animas fe-  
cetit.  
Heb. 13.

**F**orti animo esto filia, & pusillanimitate reiecta tota ad me redi. En ego ubi  
occurro, en brachia expando, en ad osculum te recipere paratus sum, en omnia  
tibi delicta remittere gaudeo, en pro tuo reditu conuiuium instruo. Noli an-  
gelos meos, meque simul hoc priuare gaudio. Esto tu vna post hac ex domesticis meis  
euola sicut columba ex diaboli laqueis, & veni inter brachia mea. Dulcior,  
suauior, honestior, sanctior erit seruitus ea qua mihi, quam illa qua habet  
tyranno ancillaris. Iugum meum tibi multo quam illius erit tollerabilius ac le-  
uius. Reuertere & veni. Non sit ætas, nulla sit infirmitas qua te impediatur. Delicta  
tua nequaquam tibi imputabo. Quacunque hora pro ijs genueris, peccatorum  
tuorum non recordabor amplius. Ego te propter peccata tua non spernam, ego  
non paucioribus, sed vberioribus ac potioribus te donis ditabo, vt quomodo in te  
abundauit delictum, abundet & gratia. Noli me quæso filia passionis meæ fructus  
spoliare. Vide quæ pro te patior, vide quibus clavis perfodior. Vide quibus amar-  
cor pœnis, quantis discrucior pro te angustijs. Vide quomodo vitam meam vti-  
bi seruirem, Deus & creator tuus omnem in paupertate, fame, siti, frigoreque con-  
sumpserim. Moueat te rosei mei sanguinis vnda, quam pro te fudi. Misereere chari-  
tatis meæ qua moriens dilexi te. Hæc omnia offero Patri pro te, saltem conuerte-  
re ex toto corde ad me. Videsne quàm ardentem tuam salutem sitio? Videsne quàm  
amanter te inuito, quàm desideranter expecto? Experire igitur nunc etiam quàm  
hilariter tibi occurram, quàm misericorditer te recipiam, quàm paterne denique  
non modo in famulam, sed in filiam etiam adoptare cupiam. Ego te mihi recon-  
siliabo filia, ego te cordi meo adstringam. Vique quo igitur. nunc morans filia  
Vique